

## Traditiones Wizenburgenses (Ed. Glöckner) Nr. 11

Domino fratri Herloaldo abbati vel omnem congregationem sancto Petro atque emtores inluster vir Liutfridus dux et Hiltrudis ducissa, pariter venditores. Constat nos tibi vendidisse et ita vendimus villam nostram in pago Halisacinse, cui vocabulum est Burghaime, hoc est tam mansis casis casalibus terris pratis silvis vineis mancipiis aquis aquarumque decursibus cultis et incultis, quicquid ad ipsam villam superius denominatam pertinet, totum et ad integrum vobis tradamus atque transfundimus in dei nomen ad possidendum; et unde accepimus ad I uos precium adpreciatum sicut inter nos placuit atque convenit in auro et argento et caballis libras L et IIII, tantum ut ab hac die habendi tenendi vendendi commutandi, vel quicquid exinde facere volueritis, liberam ac firmissimam in omnibus habeatis potestatem. Si quis aut nos aut heredes nostri aut quislibet ulla opposita persona qui contra hanc vendicionem a nobis factam venire aut remouere temptaverit, inferat vobis tantum et alio tantum quantum in hac vendicione est insertum et insuper una cum sociante fisco auri libras III argenti pondera X persolvat, et insuper quod repetit evindicare non valeat, stipulacione subnixa. Actum in civitate Argentoracinse publice. Teste inlustro viro Liutfrido duce qui hanc vendicionem fieri rogavit †. Hiltrude que consensit †. Nordoalto †. Hudone †. Theotbaldo †. Odalberto †. Sigiricho †. Theotberto †. Ego Ansegarius rogitus hanc vendicionem scripsi et subscripsi, notavi post medium mensem marcio anno III post obitum Theoderici regis.